



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Appendix de Dispensationibus S. Pœnitentiariæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

dispensatio fuerit absoluta: quia obligatio legis semel extincta non reviviscit: & quod destructum est, non reproducitur, nisi ab eo; qui producere potest. v. *Suar. de leg. c. 22. Laym. Præpos. &c.* qui rectè id concedunt; quando non est de re dividua & successiva; aliàs negant. Unde supposita probabilitate sententiæ negativæ, *Gran. Dian. &c.* sequentes Casus (in quibus tamen alii meliùs contrarium sentiunt) resolvunt.

I. Cum quo dispensatum est propter morbum in esu carniùm, potest vesci, licet omnino convalescat.

II. Cum quo propter infirmitatem dispensatum est in voto religionis, postquam convalescit, non tenetur. *Dian p. 6. r. 7. R. 45.*

III. Cum quo propter oculorum infirmitatem dispensatum fuit in onere recitandi horas; etsi convalescit, non tenetur legere.

## APPENDIX.

### De dispensationibus S. Pœnitentiariæ.

Quia ex officio S. Pœnitentiariæ multæ dispensationes (& gratis quidem) impetrari possunt, saltem pro foro conscientie, operæ pretium censui, quædam circa hujus rei praxin pœnitentibus & Confessariis utilia hîc subnectere.

Et quidem tria potissimum circa hanc rem requiri possunt. I. Circa materiam, & causas, in quibus nimirum casibus dispensationes istæ concedi soleant. II. Circa formam literarum Pœnitentiæ, quibus dispensatio Confessario committitur

titur, quarum verba nonnulla, quæ difficultatem pariunt, explicanda sunt. III. Circa ipsam executionem dispensationis, quæ nimirum in ea observanda sint. De quibus ex *Bonac. Diana p. 4. t. 4. R. 71. & p. 8. t. 1. R. 103. &c. usq. ad R. III. & Marti Pauli Leonis volumine integro ea dore edito.*

Resp. I. In triplici materia ( pro cuius diversitate, diversa quoque est forma ) dispensationes, sive gratiæ istæ concedi solent.

*Prima*, est in Votis : v. g. ut votum religionis, ob inopiam parentum, vel fratrum, similive ex causa; licet differre: ut quis à voto simplici castitatis, vel etiam religionis ( postquam matrimonium contraxit ) absolvatur ad manendum in matrimonio, debitumq; licitè petendum: ut à voto religionis ( ob debilitatem virium, per quas ejus onera ferre non possit, aut ob metum incontinentiæ, aut dotis defectum ) absolvatur in ordine ad contrahendum matrimonium.

*Secunda*, In impedimentis occultis matrimonii: sive ea sint impediencia tantum, sive etiam dirimentia; sive matrimonium cum iis publicè contractum sit, sive contrahendum, dummodò de eo privatim fuerit actum & conclusum, præsertim in bona fide: sive etiam quando contracto superveniunt. Circa quæ *Notandum* 1. Impedimenta occulta dici, quæ vel nulli nota sunt; vel licet uni alterivè innotuerint, ad forum tamen contentiosum non sunt deducta. 2. Et si aliqua impedimenta, v. g. cognationis spiritualis, natura sua sint publica, cum contrahantur in facie Ecclesiæ: fieri tamen potest per accidens, ut sint occult-

occulta, v.g. 1. ob diuturnitatem temporis, ex quo sunt contracta. 2. ob distantiam loci à loco contractæ cognitionis. 3. per mortem eorum, qui fuerunt conscii. 4. per ignorantiam hujus contractionis.

*Tertia*, In variis censuris, ut, excommunicationibus, suspensionibus (item irregularitatibus) præsertim occultis, ad absolvendum ab iis, dispensandum, rehabilitandum, &c. Item ad condonandam obligationem restitutionis ob horas neglectas; ad commutandum onus recitationis horarum; eligendum Confessorem etiam pro reservatis, transeundum ad aliam religionem, sive ordinem (pro utroque foro) etiam post apostasiam à suo.

Resp. II. In formulis frequentioribus ipsius Brevis Apostolici, verba quæ substantialia continent, & difficultatem habent, sunt hæc.

1. *Si est ita, vel, quatenus si ita est.* Quorum sensus est; si preces veritate nitantur, præsertim tempore datarum literarum Apostolicarum. Requiritur autem veritas rerum narratarum principaliter quoad essentialia facti, v.g. affinitatem esse contractam; incestum commissum, & actum sive tractatum esse de matrimonio (intellige perfectè, ita ut in id utrumque consenserint) & periculum revelationis ac scandalum imminere. Secundariò autem requiritur quoad accidentia, v.g. bona fide actum esse; & similia, quæ tantum sunt impulsiva, & sine quibus nihilominus conceduntur tales dispensationes: unde et si in iis, vel aliis parvi momenti sit erratum in peti-

petitione, gratia nihilominus est valida. *vide M. Leon. p. 2. f. 226. & p. 3. f. 391.*

2. *Periculum imminet revelationis.* Ad hoc enim ut subsistat dispensatio, requiri, ut sit periculum ne reveletur impedimentum (intellige, quando id in formula exprimitur) si non subsequatur matrimonium, docet *M. Leo p. 2. f. 230.* Periculum autem hoc non importare necessariam detectionem, sed tantum probabilem & moralem credulitatem, futurum, ut si resiliatur à matrimonio contrahendo, & hujus causæ assignari non possint, ex vehementi suspitione, & curiosa inquisitione detegatur. *v. l. c. f. 233.*

3. *Et scandalorum.* Quo nomine intelligitur gravis infamia, ex qua deinde sequantur contentiones, minæ, pugnæ, &c. *Leo f. 130. & 317.*

4. *Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, &c.* Clausula hæc est substantialis, ut nimirum si dispensandum sit in impedimento dirimente, cum quo matrimonium contractum fuit in facie Ecclesiæ, conjux ignorans illud impedimentum fiat certa de nullitate prioris sui consensus, & novum validumque liberè præster (ita tamen ut in cognitionem occulti impedimenti non veniat) *Leo p. 251. Dian. p. 8. t. 3. R. 110.* Sufficit autem ut istum consensum præstent inter se secretò, nemine præsentem per verba, vel signa sufficientia, v.g. copulam maritali affectu. Neque debet Executor dispensationis eos coram se, & testibus iterum copulare. *Leo p. 552.*

5. *Postquam dicto sacerdoti, si nondum satisfecerit.* Verba hæc solent esse in facultate absolvendi

ab

ab excommunicatione, v. g. ob percussionem Clerici: & important conditionem prius satisfaciendi parti læsæ quàm possit absolvi, hoc est, compensandi injuriam, expensas, & omnia damna, quæ ob percussionem illam incurrit, quorum æstimatio committitur. Executori dispensationis, neque ab ejus obligatione liberatur percussor per hoc, quòd percussus injuriam remiserit. v. *Leon. p. 382. 384.* Si autem non possit in præsentem satisfacere, sufficit si juratus promittat se facturum, cum primum poterit.

Resp. III. Circa praxin, sive executionem hujus dispensationis, hæc scienda.

1. Literæ S. Pœnitentiariæ diriguntur ad oratorem, hoc est, ad ipsum, qui dispensationem (per se, vel alium) petit, qui non debet eas resignare, sed eligere Confessorem talem, quali inscribuntur, qui eas sibi ab oratore traditas resignet, legat, & deinde cum eo secundum commissionem dispenset. Licet verò quocunque casu ab alio aperiantur, non idèò carent effectu. *Salus, Dian. p. 8. r. 3. R. 103.*

2. In confessore hoc requiritur, 1. ut sit approbatus ab Ordinario territorii, in quo dispensaturus est. 2. Ut sit Magister sive Doctor in Theologia, vel Jure Canonico, promotus in Academia; vel Religiosus habens privilegium, quale concessit Gregorius XIII. Anno 1582. Confessariis Societ. Jesu, quos Generalis; vel alius Superior de ejus licentia ad id designarit. 3. Ut specialiter ad hoc sit electus ab oratore, hoc est, eo, cum quo dispensandum est: qui tamen semel electum, nisi  
C depre-

deprehendat ignorantem, mutare non potest. *Leon. f. 22 Dian. p. 8. t. 3. R. 104.* Contrarium tamen docet *Sanck. & Perez. de mat. d. 48. f. 5. n. 7.*

3. Confessor ad id electus. 1. Debet dispensare in ipsa confessione, vel saltem immediate post. *Dian. p. 4. t. 4. R. 7. Leon. p. 1. f. 54. & 28.* 2. Debet causæ cognitionem, quando ea in Breui exigitur, essentialiter præmittere, per diligens examen pœnitentis; nisi habeat antè perspectam, quia non est merus Executor, sed Judex, cui delegatur potestas dispensandi, 3. In ea debet credere illi, etiam sine testibus & juramento, nisi aliunde sciat esse falsam, tunc enim dispensare non debet. *Leo Dian. p. 8. t. 3. R. 108.* 4. Opera in ipso Breui præscripta etsi possit moderari, non tamen condonare. 5. Etsi non præscribantur certa verba ad dispensandum, debet tamen servare formam à Rituali Romano probatam, & post verba ista, *Absolvo te à peccatis tuis*, addere: *Et eadem auctoritate declaro, te in dicto matrimonio manere, & debitum conjugale reddere posse, & debere: nec non dispenso tecum, ut idem debitum etiam exigere licite valeas, in nomine Patris, &c.* Si verò sit absolvendus ab excommunicatione, *vide formul. inf. l. 7. c. 1. d. 6.* 6. Absoluta dispensatione debet lacerare literas, præcipuè sigillum, ita ut ad probandum servire non possint: aliàs incurrit excommunicationem majorem. *Leo f. 239.* Laceratio tamen ista non est de substantia: quia tantum intenditur, ut non suffragentur in foro externo. 7. Nullo modo debet attestationem dispensationis factæ, neque ipsum Breve, seu diploma reddere, cum pro solo

solo foro conscientiaë debeat servire. 8. Nihil debet accipere, ne quidem via compensationis pro dispensatione, etiam pro foro externo facta, ideò enim inscribitur, *gratis ubiq;*: aliàs incurrit ipso facto excommunicationem majorem. *Gavant. Dian. l. c. ex declar. Cardin.*

Ex dictis resolvuntur sequentes Casus.

I. Confessor pro hac dispensatione eligi non potest, qui tantum est Doctor Ordinis, vel Professor, vel Licentiatus Theologiae: quòd enim hic in favorabilibus veniat nomine Doctoris, tantum intelligitur de iis, quæ ratione exercitii, non quæ ratione dignitatis committuntur. *Leo p. 1. f. 21. Dia. p. 4. c. 4. R. 41.*

II. Ex privilegio Societati Jesu concessio, alii etiam Medicantes eligi possunt, ob communicationem. Debent tamen tam hi, quam isti specialem ad hoc habere facultatem à suis Superioribus: aliàs dispensatio erit nulla: *Ita Aust. cit.* Et patet ex dictis.

III. Confessor debet ita examinare poenitentem, ut cognoscat, & quidem distinctè, merita causæ, possitq; inter ea discernere: ideò enim inscribitur, *Viro discreto*. Præcipuè autem debet inquirere, an preces nitantur veritate: quia gratia non conceditur simpliciter, sed sub conditione, ideoque solet addi clausula. *Quatenus si ita est: vel, si ita esse repereris v. Aust. cit.*

IV. Is qui dispensationem petit, debet Executori ad id electo confiteri: nec sufficit, ante ei confessum fuisse. Patet ex dictis. *Leo f. 28. Dian. p. 4. t. 4. R. 71. Regin. Pont. contra Sanch. Salas. Perez, Pal.*



*Palaum*: quorum sententiam non amplius esse probabilem docet *Fill. Escob. Lezan. Dian. l.c. p. 8. t. 3. R. 105.*

V. Commissio hujus dispensationis non expirat morte Pœnitentarii concedentis, re integra: quia est gratia non facienda, sed facta in favorem oratoris, cui jus quæsitum est; & Executor est dispensator necessarius, si quidem preces nitantur veritate. Neque etiam morte Pontificis: tum ob rationem allatam: tum quia officium majoris Pœnitentarii non expirat morte Pontificis. *Dian. p. 8. t. 3. ex Suar. Sanch. Garc. &c. contra Navar. Bon. &c.*

